



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Pia Desideria**

**Hugo, Hermann**

**Mediolani, 1634**

V. Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces  
me. Iob. 10.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43734**



Memento, quæso, quod sicut lutum fece-  
ris me, et in puluerem reduces me.

Job. io

C. Blancus f.

## V.

Memento, quæso, quòd sicut lutum feceris me,  
& in puluerem reduces me. *Iob. 10.*

**E**rgone cœlitibus iam nata obliuia regnis?  
Quis Ganymedeo miscuit ista Scypha?  
Quid facit immemores ad nostra negotia Diuos?  
Lethæas Superi forte bibistis aquas?  
Oblita es, mea lux, aut vis oblita videri;  
Cum dubitas proprium quale crearis opus.  
Si nescis, referam; si scis, cur fingere pergis;  
Me tua de lutea dextera fecit humo.  
Queris ubi? toto locus est notissimus orbe,  
Primus ubi pater est conditus, hortus erat.  
Fons ubi de riguis argenteus exilit herbis,  
Quadruplicique suas flumine findit aquas.  
Scire lubet tempus? minimo post tempore, salvas,  
Cum maris aggeribus terra coegit aquas.  
Adde, (quod històriæ facit, hac quoque parte  
probande)  
Puniceo rubuit Dædala gleba solo.  
Hinc tribus es modicam digitis admensus arenã,  
Primaque massa mei corporis illa fuit.

Nec

Nec primis erit his natalibus exitus impar,  
 Nil nisi pulvis eram, nil nisi pulvis ero  
 Sic faber argillam samys dum repperit agris,  
 Aedificat facili pocula ficta luto.  
 Principio, terræ segmenta ligonibus urget,  
 Inde leui madidam flumine mollit humum,  
 Denique materiem pernix rota versat in orbem;  
 Amphoraque admota nascitur arte manus,  
 Nascitur, at media vix amphora vixerit hora,  
 Frangitur, inque suam fracta recurrit humum.  
 Haud magis firma meæ fundamenta condita vitæ,  
 Et leuis extremos finiet umbra dies.  
 Cur igitur, veluti fuga non satis incitet annos,  
 Precipites glomerat mobile tempus equos?  
 Sponte, meus pulvis, nimis heu citò, sponte fatiscit,  
 Et mea, non ullo, vita premente fugit!  
 Si mihi, ceu vitrea Cœlum concreuit ab vnda,  
 Calite crystallo membra gelata forent;  
 Aut quales memorant, cœlestia lumina, stellas,  
 Quas suus è liquidis condidit author aquis:  
 Aut foret Angelicę munus sine corpore, vitę,  
 Elisijs qualem mentibus esse ferunt!  
 Sperarem Angelicis aequalia secula lustris,  
 Aequalesque Polis, sideribusque dies.  
 Sed data squamigerę magis fortia corpora turma,  
 Aut

## LIBER PRIMVS. 47

Quam peperit viridi Doris aquosa patri,  
 Quin etiam volucres cunis melioribus ortę,  
 Plumea queis nitidę membra dedistis aque.  
 O utinam rigidis mihi stent adamantibus artus,  
 Aut durent nervos fulua metalla meos!  
 Felices Scythicę fato meliore sorores,  
 Fama quibus rigido finxit ab ære manus,  
 Cuique fuit solo corpus penetrabile talo,  
 Aerea nam reliquum lamina corpus erat!  
 Sed quid ago, damnoque mei cunabula limi?  
 Aut queror è fragili corpora ficta luto?  
 Non bene vasa suo faciunt conuicia Fabro,  
 Nec faber ipse suum iure refutat opus,

## RVPERTVS.

L. I. in Ieremiam.

Cap. II.

**A**Vsum est infelix lutum blasphemare fi-  
 guli sui digitos. quid igitur? nimirum,  
 figulo iustissimè digitos suos foris contahere,  
 & cum tota manu feriente, dissipatum est vas  
 dissipatione valida.

Pec-